



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

IV. De modo absolutionis impendenda in casibus dubitabilibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

vel in homicidio , furto , sacrilegio , falso testimoniō , periurio , incestu , instrumentorum & literarum falsitate , & aliis casibus sedi apostolicæ , vel nobis specialiter , vel nostris suffraganeis , aut aliis competentibus iudicibus reseruatis , quacumque præsumant absoluere , vel vota commutare . Quod si quis fecerit , ab officio suspendatur , donec pro superiorum arbitrio satisfaciat competenter .

III.

Cum interdum tam a sede apostolica , quam ex speciali indulto , plerisque gratiōe concedatur , vt in casibus superioribus reseruatis cum sibi subditis dispensare , ac eos absoluere , eisque pro modo culpæ pœnitentiam iniungere valeant competentem .

Verum , quia nonnulli indulto huiusmodi abutentes , pœnitentias huiusmodi in pecuniarum proprium & bursalem quæstum vertunt : Nos igitur attendentes , quod priuilegium meretur amittere , qui concessa sibi abutitur potestate , decernimus , huiusmodi indulgentias a nobis concessas vel in posterum concedendas , post huiusmodi abusum esse nullas , vacuas & inanes : declarantes etiam absolutiones , quas tales abutentes impenderint , similiter fore nullas . Abutentes quoque eo ipso suspendimus a diuinis , donec pro qualitate culpæ absolutionis beneficium a suis superioribus meruerint obtinere .

IV.

Volumus , & omnibus ecclesiarum rectoribus districte præcipimus , vt in casibus dubitabilibus præcipue periculum vel salutem animarum concer-
nenti-

ANNO
CHRISTI
1586.
nentibus, ad superiorem recurrent confidenter;
vel saltem peritiores, vel sapientiores studeant su-
per his diligenter requirere. Quod si non fecerint,
& ex eorum incuria vel negligentia periculum ali-
quod emerferit, graui subiaceant vltioni.

V.

Quoniam per decentiam habitus extrinseci o-
portet clericos intrinsecam morum honestatem o-
stendere, districte prohibemus, ne aliqui clerici si-
ne capucio capit is, bireto, cappello vel pileo coo-
perto in ecclesia, seu alias in publico præsumant in-
cedere, cum hoc honestatem non deceat clerica-
lem. Quod si quis contra fecerit, per superiorem
acriter puniatur.

VI.

Canonica testatur auctoritas, quod ex maiore
decore & maioritate ornatuum apparere debeat
majoritas dignitatum. Hinc est quod firmiter in-
hibemus, ne clerici in publico vtantur * vario, vel
illud deferre præsumant, nisi in dignitatibus fue-
rint, vel canonici ecclesiarum cathedralium, vel
in gradu magisterii scientiæ literarum fuerint con-
stituti. Adiuentes quoque, ne ipsi clerici, maxi-
me non beneficiati, cincturis, corrigiis, aut peris
auri vel argenti ornatum habentibus vtantur, aut
etiam veste, vel alio habitu indecenti.

VII.

In plerisque ecclesiis mappæ, pallæ altaris, cor-
poralia & alia vestimenta, ac vasa diuino cultui de-
putata, tam inulta, tam immunda relinquuntur,
vt interdum quibusdam sint horrori, contra statu-

Concil. Tom. 29.

v